



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1712**

Q. 282. Quid observare debeat Confessarius hominis scrupulosi vel  
meticulosi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42433**

præcipuè sunt , rædium ob solitudinem religiosam , desolationes internæ , averfio Superiorum , prolapsiones in peccata & defectus.

§. 7. Id. solatio esse debet quibuscunquo & 1912.  
ex quacunque causa afflictis , quod afflictio ex amore nostrî immissa sit vel permissa à Deo , eam dirigente in bonum nostrum : ac re ipsa est maximum Dei beneficium , dummodo sciamus applicare nobis & bene uti. Certè tota doctrina Christi consistit in triplici amore , mortis sensuum , abjectionis , afflictationum. Et sicut anima corpori de se mortuo conjungitur , sic mens divina unitur animæ carenti vitâ naturæ & sensuum : item sicuti nemo adit vitam gloriosam , nisi mortuus vitâ naturali , ita nemo inquit vitam spiritualem , nisi defunctus vitâ sensuali , quod fit , si tribulationes patienter admittantur & animosè sustineantur. Si sua defuerit consolatio , sit mihi tua voluntas & justa probatio pro summo solatio , Tho. de Kempis L. 3. c. 16.

Q. 282. Quid observare debeat Confessarius hominis scrupulosi vel meticulosi. R. §. 1. Conscientiæ scrupulosa malum curandique difficultas iis , qui scrupulos experti sunt , tam est evidens , ut ejus meminisse neesse non sit : illis verò , qui nunquam ita afflictifuerunt , tam insolens , ut vix credibilis appareat. Sanè carnis ficina est intolerabilis , amaror vitæ spiritualis , insigne profectus impedimentum , tinea actionum , corporis & potentiarum flagellum , tristitiæ & perturbationis barathrum , cordis ac animi tabes , sæpe tam fera , ut dicitur à morte infelicior censeatur & ad desperationem usque adducere possit , Schorrer Theol. ascet. p. 3. l. 2. c. 6. n. 4. ideoque debet Confessarius erga sic afflictos esse summè patiens & blandus.

§. 2. Quæ sint causæ scrupulorum , an hi sint 1914  
uti-

utiles, quomodo dignoscendi, quid in genere observandum sit circa directionem scrupulorum, dixi l. 1. à n. 512. Et à n. 541. quomodo procedendum sit cum scrupuloso circa peccata præterita & eorum confessiones, possuntque etiam videri dicta hæc à n. 611. 1221. Quomodo procedendum sit cum illo, qui timet, ne variis tentationibus internis consentiat, dixi l. 1. à n. 545. Et à n. 556. quomodo cum illo, qui semper timet, ne cum dubio operetur. Quomodo verò procedendum sit cum scrupuloso circa Horas Canonicas, dixi l. 4. à n. 1350. Quomodo cum scrupuloso circa Missam legendam, dixi hæc à n. 160. Nec jam occurrit aliquid ad ista addendum.

1915. Q. 283. Quid observandum sit Confessario illius, qui deliberat de re aliqua, & præcipue de statu vitæ eligendo. R. Proponat & explicet ei sequentia, quæ potissimum desumpsi ex libello Exercitiorum S. P. N. Ignatii.

§. 1. Electionem vitæ fundamentum pono, inquit, S. Greg. Naz. orat. 23. ex quo bene aut male nobiscum agatur: nam æternitas pendet à morte, mors à vita, vita ab electione: unde hoc opus gravissimi momenti est, in quo agitur de negotio omnium maximo, quod est æterna salus propriæ animæ. Et quid proderit etiam per centum annos aliter vixisse vel egisse, quàm volles te fecisse in morte & æternitate?

1916. §. 2. Profundè intelligendum est, 1. finem omnis hominis & omnium actionum humanarum esse, in hac vita servire Deo secundum sanctissimum ejus beneplacitum, & in altera vita, æternam salvam. 2. Ad eum finem assequendum datæ esse nobis omnes creaturas ipsasque etiam potentias